76. Ac viciſſim λατρεία ad ſervitium accomodatur, quod hominibus etiam præſtatur: ut patet ex verſione LXX. interpretum. Levit. 22. & 29. Numer. 28. & 29.

77. Quid quòd ipſi Pontificij iampridem hoc diſcrimen exploſerunt: docente Ludovico Vive, duo iſthæc verba δουλεύειν & λατρεύειν pro ſynonymis à probatiſſimis Græcis ſcriptoribus accipi. Comment. in libros Auguſt de civit. Dei.

78. Præterea hoc ipſum diſcrimen convellunt ipſi Romanenſes, dùm Mariæ ac Sanctis in ſuis acclamationibus, & invocationis & adorationis: & λατρείας & δουλείας cultum expreſſè tribuunt, ut patet ex ijs, quæ ex ipſorum libris ſupra citavimus.

79. Quòd verò ſecundo loco ogganniunt, honorem Invocationis non eo modo & gradu Sanctis attribui, quo DEO: id verò frivolum & nugatorium planè eſt.

80. Cultus enim Invocationis non duplex, ſed unus & ſimplex in ſacris deſcribitur, qui ſoli Deo & nulli creaturæ dependi debeat: ac proinde in novam blaſphemiam incurrunt Romanenſes, dùm cultum aliquem Invocationis præter & citra, imò contra ſcripturarum autoritatem comminiſcuntur, qui in gradu inferiore Sanctis præſtandus ſit. Quicquid enim ſoli Deo proprium eſt id nullo prorſus modo, ſive æquali ſive inæquali aut inferiore creaturis adaptari poteſt.

Quod